



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XIX. Initia haeresis Zuinglianae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

Initia hæresis Zuinglianae.

IUtheri exemplum in Germania effecit, quod in seditionibus fieri solet, ut alia ex alia concitetur, cum homines factiosi haud umquam desint, qui per speciem reuocandi populos in libertatem, sibi ambiunt principatum tum potentiae, tum doctrinæ; animosque ad illum affectandum excitant in iis, qui in aliis euentum prosperum animaduertunt.

Hanc propensionem animi fouebat Ulricus Zuinglius, obscurus genere in Heluetia, sed ingenio aptissimo ad omnes disciplinas addiscendas, adiutus etiam idonea corporis habitudine ad exercendas maximè actuosas, & ostentandas maximè contemplatrices. Variis se linguis instruxerat, ac eruditione multiplici; atque ut pollebat gratia atque facundiæ, validissimis in populari dominatu illecebribus, amorem atque commendationem apud suos ciues sibi comparauerat. Ferunt illum iam inde à puerò in familiaribus sermonibus nihil ardenter, nihil crebrius anhelasse, erumpentibus ab intimo votis, quām aliquam sibi viam aperire ad nominis immortalitatem. Militia Ecclesiastica nomen dedit, cui fatale quasi quidam est, atrociora vulnera à suis accipere. Hic post administratam animarum curam in aliis obscurioribus locis, Parochi munus obtinuit Tiguri, quod oppidum inter primaria, vni ex Heluetiæ Tribubus nomen fecit. Cum itaque nouitatis Lutheranæ rumor hic personaret, à Zuinglio repercussa est Echo, eam laudibus extollente. Lutheri tamen defectionem ita laudabat, ut æmulum se, non discipulum profiteretur. Quare perdite exæstuans ambitione attollendi, non subsequendi vexilli, gloriatur se, cum primum in Ecclesiam inuectus est, ne vllum quidem rumorem de Luthero inaudiuisse; cuius facinoris primordia eius asseclæ tribuunt anno 1516. At si non hæresim a Luthero, audaciam certè didicit; eius namque vox sonum edidit nullum, aut certè surdum, nisi præcincte Lutherò. Quineriam post infaustos hæresis Lutheranæ natales, narrant ann. 1518. die festo S. Michaëlis in Eremi templo, vbi ille curabat antequam ad Tigurim gradum ficeret, suam prædicationem exorsum cum ea ambiguitate, quæ formidinis idiomæ est. Patentiū eam profitebantur ipsius discipuli, minus quippe per ætatem cauti, magisq; arrogantes. Deridebat ille Indulgentias, vota, dona templis largita, quin & ipsa templo; quippe

CMLB

1519.

cum Deus ubique esset, nec peculiarem sibi sedem usquam figeret. Venerationem erga Sanctos improbabat, perinde ac honoratio illa detraheretur Deo, quia illis impertiebatur. Aflerebat ad ea usque tempora Euangeliū nondum fuisse denuoatiatum, cunctis sub infidelitatis tenebris vitam ducentibus. Aiebat tamen, etiam sub infidelitate posse unumquemque salutem adipisci: & cum Lutherus solam fidem exigeret ad consequendam salutem, Zuinglius contraria minime necessariam existimabat; adeoque non minus caelestis gloriae compotes credebat Ouidium ac Martialem, quam eos quos uti caelites veneramus; tametsi hoc ipsum postea nifus est

a In libro
in scripto,
Declaratio
peccati ori-
ginalis.

b Vide inter
recensiones
Io. Martin-
num de Ri-
polda de En-
te superna-
turali, &
contra Mi-
chællem
Bauum.
c 5. Ianuarij
in lib. 4. Di-
plomaticum
secretorum
Leonis.

^a temperare, falsa potius quam hereticâ doctrinâ afferens, potuisse eos homines ob Christi merita obtainere cognitionem aliquam Dei, prout est auctor naturae, quæ laxiori quadam significacione nomen Fidei mereretur, & cui vis inesse eos promouendi ad honestos actus, ipsorumque saluti sufficientes. Quod redigi posset ad quorundam

^b Scholasticorum opinamenta, nisi deprauasset impia falsitatis adiectu. Postremo, discrimen quocumque inter Romanum Pontificem & Episcopos, inter Episcopum & Sacerdotem, inter Sacerdotem ac laicum, repudiabat.

Tigurini postea profectus, ut modò scripsimus, illud hæresis suum domicilium elegit, quemadmodum elegerat centum ante annos Arnaldus Brixienensis; cœpitque eam in vulgo edere initio anni 1519. Demandarat ^c Romanus Pontifex Indulgentiarum promulgationem in ditione Heluetiorum Francisco Lichetto Brixieni, Ordinis Minorum Generali Visitatori, celebriqué Theologo, à quo sufficiens est quidam Samson eiusdem Ordinis. Hic Tiguri exorsus administrationem muneri sui, magno cum pietatis sensu fuit à Tigurinis exceptus: sed illico in illum Zuingliu iuxta se gesit ac Lutherus in Tetzeliu. Hoc etiam in loco labitur Suavis fides, dum Samsonis aduentui, adeoque Romanæ auditati colligendæ pecunia, nouam Zuinglii hæresim adscribit; quare uera orta fuerat prius quam Samson eō peruenisset, neque primordia, uti Lutherana, ab argomento Indulgentiarum accepit, sed ab aliis pluribus grauioribus, maximeque diuersis dogmatibus. Memorata hæresis corpus Reipubl. Heluetiorum in partes discidit, æquè ac Lutherana corpus Imperij Germanorum. Sed hæc ad nos reuocat, unde primam ac præcipuam traxit originem huius Historiæ argumentum.

CAPVT

